

prebere ad ipsius regni acquisitionem; de quo dominus episcopus ignorat mentem domini regis sui, sed eam scire curabit indilate. Quod intelligens prefatus dominus Andreas replicavit, quod si fortasse dominus rex Romanorum persisteret in proposito reservandi summum pontificem et nollet aliquid specialiter de predicto regno Sicilie promittere, saltem contentus esse velit quod promittatur per utramque partem, quod in quacumque imprisia quam in partibus Italie aliquis eorum haberet aut eum habere contingeret, alter tenatur illi talem imprisiam habenti prestare favorem, subsidium et iuvamen quodcumque sibi possibile et per quemcumque modum sibi possibilem contra quemcumque dominum, personam aut dominium, cuiuscumque dignitatis regie, reginalis vel alterius cuiusvis existat, qui vel que aut quod talem impresiam impediret vel ipsi resisteret quovismodo, dicens quod alioquin ista intelligentia multum claudicaret, cum dominus rex Aragonum teneretur ipsi domino Romanorum regi ad veniendum et personaliter pro suis impresiis et non econverso; ad quod ipse dominus episcopus similiter respondit se curaturum intelligere etiam super hoc regiam voluntatem ut supra. Propterea circa istud primum necessarium est expectare voluntatem amborum dominorum regum, quam prefati dominus episcopus et dominus Andreas curaturi sunt habere indilate particularem et distinctam, ita ut comprehendat omnem casum circa predicta.

Circa secundum capitulum petit suprascriptus dominus Andreas serenissimum dominum regem Romanorum debere pro sumptibus classis aliquam rationabilem facere contributionem, de quo dominus episcopus ignorat voluntatem regie maiestatis; ideo eam scrupuloso abitur, ut supra dictum est in alio precedenti capitulo.

Tertium capitulum est oblatum per suprascriptum dominum episcopum nomine cesaree maiestatis.

Quartum capitulum obtulit suprascriptus dominus Andreas nomine serenissimi domini regis Aragonum.

Quintum capitulum petit suprascriptus dominus Andreas, de quo dominus episcopus dicit se ignorare voluntatem regie maiestatis; ideo eam scrutabitur ut in primis duobus.

2.

Instruktion für die aragonischen Gesandten zur Verhandlung über die Liga mit dem deutschen König und dem Herzog von Mailand.

Barcelona, Kronarchiv, Registro 2677 fol. 26v—27. Herbst 1427.

Memorial de les coses, que mossen Bernat de Corbera, governador de Cathalunya, mossen Andreu de Biure cauallers, e miçer Berenguer Clauell doctor en ley, consellers del senyor rey Darago, e cascu dells per